

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iovis, 11. Decembris,

M. VRBANO BODINEAV DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

Vtrum in Exanthematis cruenta mictio θανατώδης?



VITIOSORVM humorum excretiones vt ſalutis, ſic mortis interdum prænunciæ. Vomitus vomitum curat: hydropem ſuperveniens diarrhœa ſolvit; totius corporis vitium perirrhœa; lienis duritiem ecthymata livida, nigra. Synochum putrem ſanguinis per nares eruptio; ſuppuratam pleuritidem pus vrina excluſum, cavſum ſudor. Has evacuationes criticas victrix natura etiam die non critico, quemadmodum ſymptomaticas, ſuperior morbus facit tam μεταστάσει, quàm ἐπιγενέσει.

DVM ab iis partibus quas corrupêre, prodeunt excrementa, earum labem, & exolutionem indicant quidem, minimè tamen tollunt. In hydrope iecoris confirmato, copioſius licèt effluat ſerum, non inde tamen ſuus iecori τόνος redit: Nec atrabilarius humor ἄνω ἢ κάτω expreſſus naturæ ſalutaris eſt; Nec in exanthematis mictu excluſus ſanguis minùs noxius, quàm dum è gingivis cum alvo liquida exudat, aut è naribus ἀνάπαλιν.

FAMILIARIA pueris & mulieribus exanthemata, veteribus nota; orta non à fermento ſanguinis menſtrui; ſiderum maleficio, aut veneno (quod in corpore noſtro generari non poteſt) ſed ab eximia humorum putredine, quæ dum ſynochum putrem contagij participem accendit, vel cutem tollit in puſtulas, vel deſcribit maculis; hinc Morbilli; illinc Variolæ, quæ eo deteriores quo plures ex internis & nobilibus partibus, quàm ex ignobilibus & externis, inficiunt.

PRo impotentia caloris nativi, & humoris feritate atque copia ægrè interdum erumpunt, quamvis crebrâ venæ sectione, aut balneo naturam sollicites; potius quàm bezaardicis pulveribus, aut condîtis calidioribus, quorum illi sunt inefficaces, hæc noxia; alias vbi erupêre carcinomatis instar exulcerant. Insiliunt modò in caput, vbi delirium, & convulsionem funestam, modò in pulmonem, vbi φθορὰν αἰφνίδιον, modò in jecur, & renes, vbi exolutionem calamitosam pariunt.

QVOD si tanta omnibus vasis putredo assurgat, vt ichorosus sanguis per mictum excludatur, sicut nonnunquam solet per continuas febres, proximum ægri interitum expectare licet: extincto calore nativo partium nutritiarum, renibus exolutis, inducta humoribus gangrenosi, excesis aut hiantibus vasorum ostiolis, nulli pulveres pretiosi, nullæ antidoti, nulli galbei, nulla talismanica præsidia futuram calamitatem antevertent.

Ergo in Exanthematis Mictio cruenta θανατώδης.

Proponebat Lutetiæ IOANNES BONIER, Molinensis, Anno R. S. H. M. DC. XXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Vrbanus Bodineau, Præses.
M. Antonius Suart.
M. Remigius Levesque.
M. Guillelmus du Pré.
M. Philibert⁹ Morisset.
M. Iacobus Cornuti.
M. Franciscus Guenault.
M. Ioannes Merlet.
M. Gabriel Hardoüin de Sainct Iacques.

PARISIIS,

Prostant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum, in Platea Malbertina, ad insigne D. Stephani. 1647.

cette thèse est la 709e du tome IV in folio des thèses de la faculté. ——